

Nomen ab ingenio venit quodcumq̃ profectum  
Durat, & ex summis fertur id esse bonis.  
Quod tua cum GVLIELME tibi doctrina paravit,  
Ingenuæ specimen nobilitatis habes.  
Emilio Regi satis es virtute probatus  
Nanq̃ tibi ipsius cura cubilis erat.  
At modo non minimis te Cæsar honoribus auxit  
Te quoq̃ cum Fiscum iussit obire suum.  
Inq̃ suo voluit te nomen habere senatu  
Ad tacitas OENI qui modo floret aquas.  
Ergo tuo merito laudem cum fratre mereris,  
Hoc precor, hoc vtinam fratre fruare diu.

AD D. BARTHOLOMAEVM GIEN  
ger Sereniss. Bohæmorum Regis Falco-  
num Magistrum.

Giengeros inter non infima gloria fratres  
Et generis magnum BARTHOLOMAEE decus.  
Militiæ studio venandi clarus es arte,  
His exercitijs nobile nomen habes.  
Ergo suam merito te Rex ascivit in aulam,  
Nec leuis officij nomen habere dedit.  
Dum facis accipitres ludis regalibus aptos  
Quos in delitijs MAXMILIANVS habet.  
Perge Duci gratum semper te reddere tanto,  
Principibus laus est magna placere viris.

AD D. IOHANNEM GEORGIVM  
Gienger Capitaneum arcis Petschau.

Si minor es natu, tamen hos virtutibus æquas,  
Quos tibi fraterno sanguine iunxit amor.  
Cæsarei curam castris geris ergo Georgi,  
Hic vbi fecundos Petscha tuetur agros.

Vine